

Johann Cothmann Johannes Harpff

Disputatio ... De Praedestinatione ...

Disputatio Prima Partis Secundae : Qua Universalis Dei Philanthropia ex vocationis generalitate locis scripturae classicis evincitur

Rostochii: Kilius, 1642

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn746186908>


Band (Druck) Freier  Zugang



Vert. : J. Karpff

Joh. Cothmann.

R. U. theol. 1642.



DISPUTATIO PRIMA
PARTIS SECUNDÆ,
DE
PRÆDESTINATIONE,

QUA
Universalis Dei *Φιλανθρωπία* ex voca-
tionis generalitate locis scripturæ
classicis evincitur,

Quam

Christo in regnum suum spirituale
nos vocante adiutore

PRÆSIDE

JOHANNE COTHMANNO,

S.S. Theol. Dōtore & Professore,

Publicè defendet

JOHANNES *Harpff* Mœno-Franco-
furtensis,

*Habebitur in Auditorio Majori s. Februar.
horis à septima matutini.*

•(•)•

ROSTOCHII,

Typi *NICOLAI KILII, Acad. Typogr.*

ANNO M. DC. XLII.

VIRIS
Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis
Consultissimis

Imperialis liberæ & Celeberrimæ Rei-
publicæ Mœno-Francofurtensis

PATRIÆ PATRIBUS

DN. HECTORI WILHELMO

à Gûderoth Prætori gravissimo.

DN. JOHANNI Schwindt Seniori } Consulibus
DN. PHILIPPO CHRISTIANO } Prudentissi-

off-Steinern Juniori, } mis,

UT ET

Cæteris Totius ordinis Senatorii Laudatissimis

Dnn. Scabinis, Scholarchis, Syndicis
reliquisq; Senatoribus Spectatissimis

NEC NON

VIRIS

Plurimum Reverendis, Clarissimis &
Excellentissimis, Ecclesiæ Dei ibidem
Ministris vigilantissimis, fide-
lissimis.

Dominis Mecænatibus atq; Evergetis meis magnis
omni observantia & submissione
perpetua colendis

Dissertationem hanc Theologicam in debita gra-
titudinis Symbolum dicat consecratq;

Johannes Harpff Mœno-Francof.

Resp.





Divine loqueris de sacris, hac bene tractas,
Doctorum & verè pulpita sacra premis
Grator, Ioannes Harpfi, precor omnia fausta
Quod suscepisti, sic bene nunc peragas
Omne sic fausto, sic pergas tramite recto
Sic tandem poterit commoda ferre tuis.

Hac HARPFIO commensali & cognato
suo dilectissimo veræ amicitiae ergo apposuit
M. Matthæus Voland, M F.

Gratia magna manet psaltem cantare trigono
Edoctum docto pollice dulce melos.
Ast meritò major debetur gratia JANO,
Qui melius Laudes psallit, JOVA, tuas.
Constituunt ipsum calamus, cor, Lingua trigonum,
Quo resonante nihil suavius esse potest.
Terrigenas quoscunq; vocat, celebrando benignam
Gratiam, & à curistrisia corda Levat.
Gratia tanta DEI maneat quoscunq; vocatos,
Alliciat cunctos gratia tanta DEI.

Hac amicitia contestanda ergo
s. m. q. adponere v. d.

M. Joachimus Fabricius,
Lindoâ-Marchiacns.

Felix qui rerum potis est cognoscere causas
Felix qui potes est scire divagiorvny!
At qui Theologia cognosse recondita gestit
Is cunctis palmam praripit atq; decus
Hinc, HARPFI, es felix, dum felix jura vocandi
Volvis mente tua; Hinc magnus honore clues!
Tobias Quistorpius.

Te

TE juvat arguta citharæ instar Amicæ colende,
HARPHI, perdoctos edere sæpe sonos.
Varniacæ Musæ præbendo vocibus aures
Arrectas, sonitum complacuisse probant
Gratulor, atq; precor, quondam te Ecclesia Christi
Lætans utatur dulcisonâ citharâ

*Præstantissimo Dn. Respondenti Amicæ &
fautori suo colendo gratulab.*

Balthasar Neander,
Pyriciâ Pomer.

FERTILIS assiduo, si non renovatur aratro
Nil nisi cum spinis, gramen habebit ager.
Quilibet observans, discedet doctior ille
Ast tu per volvis, semper amicè pie,
Quare ego non dubito, discedes doctior, HARPHI
Pergere sic possis, gratulor ex animo.

*Ita gratulari debuit amico suo ac
conterraneo observanter amando*


Martinus Happelius, K. H.

DISCEPTANT multi de rebus plurima multis;
Ille plicas Logicæ dissolvit mente sagaci:
Sunt quibus unum opus & labor est abscondita largæ
Matris Naturæ longo quæsisse labore.
Ast alij Mores, alijq; Mathemata gnavi
Tradunt, atq; omnes in partes tradita versant.
Rectè omnes. Te vero Harphi mage nobilis urit.
Ardor magna sacri mysteria prodere verbi;
Turabidi insanum Calvinî dogma refutas,
Dogma quidem, quo blasphemum haud mage mundus habe-
Maecte istâc virtute tuâ Doctissime Fautor! (ret.)
Maecte animâ tibi erit Virtutis gloria merces.

*Hac candido animo in vera & non fucata amicitie
signum, convictiorimeo suavissimo apposui*

Johan Hövisch/Fehmari Holf.

☞ (○) ☞ ☞ (○) ☞



CUM DEO.



Arte primâ fundamenti Christianismi circa doctrinam prædestinationis (Universalem scil. Dei ad salvandum propensionem & misericordiam : tum meritum Christi generale, quæ acquisitionem omnes in mundo homines impios ac pios concernens) Dei gratiâ absolutâ, deinceps Altissimi auxilio, quæ circa hanc materiam explicanda restant, parte hac secunda breviter, aliquot exercitijs Academicis, contemplantur. Ubi initio occurrit, Universalis Dei ad gratiam illam per Christum acquisitam invitatio & vocatio, de qua quid adversa pars sentiat ex proprijs illorum testimonijs evidens erit.

2. Et initio quidem adversarij, vocationem ratione divinæ voluntatis ad omnes pertinere homines negant, Deo quippe hanc ascribentes *μισανθρωπίας*, ut dicente *Beza part. 2. Resp. ad Acta colloq. p. 194.* nunquam tempus fuerit, aut futurum sit, quo voluerit velit aut voliturus sit singulorum misereri: Sed ab æterno pro bona sua voluntate, & ea quidem cui resisti non possit, constituisse & quorum in Christo miseretur, & quos in Christo induraret. A quo, vel alio *Beza* defendente, non injuria quæreretur, quid sit in Christo indurare, cum enim sola fide in Christo firmus, *Gal. 3. v. 26.* qui hoc medio in cordibus nostris habitat *Eph. 3. v. 17.* & potestatem filios Dei fieri permittit. *Job. 1. v. 12.* numne ergo credentes indurantur?

3. Ut autem quæstionis hujus status legitimè formetur observandum ob contradicentium nobis *σεφὰς*, non versari controversiam hanc in eo quæstionis cardine, quasi singulis seculis vocatio per verbum ita fuerit Universalis, ut ad omnia & singula individua actu ipso sese semper extenderit, id enim si assereremus multa scripturæ dicta, ipsamq; experientiam falsitatis argueremus. Non itaq; opus est *Wendelinum cap. 2* de objecto prædestinationis, vocationem externam, sive promulgationem doctrinæ Evangelicæ,

A

ad

ad omnia hominum individua se extendere pernegantem, illud ita operose probare, cum in eo *σητή μωυσης* hujus *ούσασις* non constituatur. Libentes enim largimur, Judæos V. T. magnam præ gentibus habuisse prærogativam, de qua *Psal. 147. v. 19. 20.* Hinc tamen inferre non licet, gentes plane à gratia Messia exclusas: contrarium enim profelytorum testatur exemplum *2. Par. 2. v. 17.* qui religione Judæorum moti, Jerosolymam sese adoratum contulerunt *1. Reg. 8. v. 41.* Et quamvis præteritis ætatibus Deus gentes vijs suis idololatricis ingredi siverit; tamen *ἐκ ἀμάστρουν εαυτῶν ἀφῆκεν Αἴθ. 16. v. 16. 17.* Idq; eo fine ut se querent *Αἴθ. 17. v. 27.*

4. Licet autem actu quolibet tempore vocatio per verbum non fuerit Universalis: tribus tamen distinctis vicibus, Universaliter omnes, nullis exceptis, vocati sunt ad Ecclesiam. Primum in protoplastis nostris, Adamo & Eva: hi enim post lapsum dulcissimam hanc audientes promissionem, semen mulieris caput serpentis contriturum, non se tantum, sed & totam posteritatem beneficium hoc concernere intellexerunt. Unde Apostolus lapsus seu morbi Universalitatem asserens, medicinam quoq; morbo applicandam Universalem esse ait, ad omnes homines sese extendentem *Rom. 5. v. 18. 19.* Ipse Wendelinus concedit *p. 91.* ante lapsum in Adamo tanquam radice totius generis humani, *universum genus humanum sufficiens vocatum esse.* Et quamvis subjungat hanc vocationem ad præsentem controversiam non pertinere. Quæri tamen non injuria potest, qui factum Deum omnes Adami posteros, modo Adam non defecisset, felicitate illa & innocentia beare voluisse: Postea tamen homines in miseriam prolapsos non voluisse inde liberare! Numne Dei misericordia post lapsum fuit restrictior, quam ante lapsum, contra Apostolum *Rom. 11. v. 32* absit ut id affirmemus. Secundo in Noacho ejusq; filijs totum genus humanum representantibus, quibus omnibus rectus colendi Deum modus innotuit *Gen. 8. v. 21.* cumq; Noha trecentis quinquaginta post diluvium annis vixerit, utiq; hic præco justitiæ suam posteritatem viam Domini rectè docuit *Hebr. 11. v. 7.* Quod enim Deus de Abrahamo dicit *Gen. 18. v. 19.* Scio quod præcepturus sit filijs suis ac domui suæ post se. Id de Noacho rectissime quoq; affirmatur. Post diluvium

diluvium itaq; in Noacho omnes ad veram veri Dei notitiam vocati sunt, nullo mortalium excluso. Hujus argumenti vim eludere conatur Wendelinus *Cap. 16. p. 93.* dicendo: cum de universali vocatione loquimur, non unius seculi vel ætatis homines intelligimus, sed omnes omnium seculorum à primo usq; ad præsens. A. familia igitur Adami & Noachi ad omnia hominum individua non valet consequentia. Respond. hac vice sufficit nobis omnes in Adamo & Noacho, ad gratiæ divinæ participationem vocatos. Quamvis autem obstante hominum ingratitude, vocatio illa non sit continuata; Sed Deus verbi divini candelabrum loco suo movet, sicuti comminatus *Apos. 2. v. 5.* & famem audiendi verbum Dei immiserit *Amos 8. v. 11* Quando enim Deus hominum contumaciam videt, ac verbi sui fructificationem inanem fore animadvertit, fideles suos ministros avocatur *Act. 22. v. 18.* culpa hominum ergo fit, quod vocatio quæ à parte Dei debebat esse Universalis, non semper actu talis sit & maneat conf. *Act. 18. v. 6.* Tertio Christi & Apostolorum tempore, quamvis ante Resurrectionem, quia Judæis primum verbum annuntiandum *Rom. 1. v. 16.* in vias gentium Apostoli ordinariè non ingrediebantur, utpote prohibiti *Matt. 10. v. 5.* tamen, postquam initium prædicationis ab Hierosolymis factum *Luc. 24. v. 47.* Apostoli dicuntur futuri doctrinæ Christi testes in Judæa, Samaria, *ἕως ἐσχάτης τῆς γῆς Act. 1. v. 8.*

5. Et ne quis vocationem illam non esse universalem arbitretur, sed ad certos homines restrictam, Spiritus Sanctus ejusmodi addit explicationem, quædubium illud solvit. V. G. Deus annuntiat omnibus ubiq; hominibus *μετανοεῖν*, eò quod statuitur diem, quo judicaturus est orbem terrarum in justitia, per eum virum per quem decreverat, fide præstita omnibus *Act. 17. v. 30. 31.* cum igitur quæritur, quos Deus velit respicere? responderetur in-textu: quos judicaturus est. Jam verò omnes nullo excepto sistemus coram tribunali Christi judicis *Rom. 14. v. 10.* ut reportet quisq; quod fecit, sive bonum sive malum *2. Cor. 5. v. 10.* finge jam Deum non velle omnes pœnitentiam agere. Ergo simul inferam: non omnes sistendos Christo judici. Cum verò ultimum sit, testibus adversarijs nostris. vide *Bucan. loco de Extremo judicio p. 427.* absurdum Ergo & primum

primum. Gualth. in h. l. ait: novissimi judicij terrore p̄nitentiam urget. Qui non obediunt, ij oblatam gratiam contemnunt.

6. Bullingerus in *Ath.* 17. ad verba: ut omnes ubiq; resipiscant, excipit, ejusmodi locutiones resipere synecdochen & de electis ac credentibus intelligendas. A quo non abludit Beza in N. T. qui licet veritate compulsus fateatur, Universo mundo offerri Christum; subjungit tamen id ita intelligendum, quod ad omnes gentes dimanarit, non illud autem ad singulos homines referendum esse, quia fides non sit omnium 2. *Thef.* 3. v. 2. Resp. I. Bullingeri synecdochen textus evidentia refutat. Loquitur enim de omnibus ubiq; hominibus coram tribunali Christi aliquando sistendis. Num soli credentes & electi judicabuntur? de credentibus scriptura ait, quod *εἰς κελαν* non veniant. scil. Condemnationis *Joh* 5. v. 24. Beza glossam textum non de singulis hominibus loqui dicentis, Marlōratus ex eadem Schola refutat, dum ad hunc locum ait: voces *omnes ubiq;* ostendunt Evangelium doctrinam esse Universalem, & omnibus p̄dicandum. Nec ratio Bezae alicujus momenti est cum inquit: fides non est omnium. Ergo nec p̄dicatio. Non enim æque latè patent, fides & p̄dicatio. Ex Scriptura enim notum, multos vocari, qui tamen Deo vocanti recalcitrant *prov.* 1. v. 24. *Esa.* 65. v. 12. *Rom.* 9. v. 21. & passim. Hinc multi vocari, pauci tamen eligi dicuntur *Matt.* 22. v. 14.

7. Sed excipit Wendelinus cap. 3. de p̄destinat p. 9. *πίστιν παρέχειν* non est fidem p̄bere sed facere, h. e. rei veritatem evidenter demonstrare. Respondeo non opus est explicationem extra textum fingere, cum seipsum satis explicet. Quid enim fides notet, patet ex verbo *μετανοεῖν*. Deus omnes vult resipiscere, Ergo fidem illis offert. Per sermonem enim Evangelicum credimus *Joh.* 17. v. 20. & fides ex auditu verbi divini est *Rom.* 10. v. 17. connectuntur autem illa in textu: *μετανοεῖν* & *πίστιν παρέχειν*. Et monstret. Wendelinus locum in toto N. T. ubi *πίστις* denotet veritatem evidenter demonstrare. Quod si non potest, fatebitur (textu imprimis reclamante) explicationem à se datam principium petere 2. ait Apostolum non loqui absolute de fide, aut de fide salvifica inspecie, sed de evidenti resurrectionis demonstratione, qua omnes in
extremo

extremo iudicio sint convincendi Resp. iterum petitur principium, ob causas ante datas. Sensus autem Apostoli simplicissimus hic est: Deus fidem præstat, sive offert omnibus, quia excitavit Christum à mortuis *Act. 4. v. 10.* propter nostri justificationem *Rom. 4. v. 24.* Ut ergo memores sint Christum resurrexisse à mortuis *2. Tim. 2. v. 8.* fidem, (quippe solius Dei opus *Job. 6. v. 29. Phil. 1. v. 29*) qua illud beneficium sibi applicent, illis offert. Sine fide enim Christus nobis nil prodest *Gal. 5. v. 4.* nec insolens est in sacris fidem salvificam ac Christi resurrectionem conjungi *vide 1. Cor. 15. v. 17.* Et id adeo clarum est ut *Sohn. Tom. 1. p. 185.* expresse fateatur, Deum universos homines serio vocare, ut ad se convertantur, & oblatum beneficium redemptionis amplectantur, & addit locum *Act. 17. v. 30.*

8. Sed Wendelinus causæ suæ metuens negat allegatum locum, hanc habere conclusionem *Cap. 15. p. 86.* Deum salvationis sine omnes vocare, quia hæc conclusio directè contraria sit testimonio Evangelistæ & prophetæ. *Esa. 6. v. 9. 10. Job. 12. v. 40.* Et hæc ratio adeo ipsi placet ut *p. 85.* dicat: aures hic arrigant & Evangelistam & Prophetam audiant, qui nos (Calvinianos intelligit) audire non sustinent. Respondeo, textus *Act. 17. v. 30. 31.* ita clarus est, ut ejusmodi officijs non obscuretur. Quid enim dilucidus dici poterit: Deus in V. T. tempora ignorantæ dissimulavit, nunc verò in N. T. denuntiat omnibus hominibus, ut ubiq; resipiscant, eò quod statuit diem, in quo judicaturus est orbem terrarum *ἐπιδικαζομένη* id est *δικαίως* conf. qua phrasin *Act. 26. v. 7. c. 22. v. 18. Apoc. 22. v. 6.* & passim. Ad quæ verba Calvinus ita commentatur: admonet Paulus, præbendas esse aures Deo simul ac loquitur, quem admodum scriptum est *Psal. 95. v. 8.* hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra; minimè enim excusabilis est eorum contumacia, qui dum eos benignè ad se Deus invitat occasionem prætereunt. Interea colligimus ex hoc loco (arrige aures Wendeline) in quem finem prædicetur Evangelium: nempe ut Deus à prioris vitæ erroribus, nos ad se colligat. Ergò quoties auribus nostris insonat vox Evangelij, sciamus Deum nos hortari ad pænitentiam. Hæc satis bene Calv. cui in faciem contradicit Wendel.

hiscē verbis, ad quæ mens pia meritò exhorreſcit. Si inquit Deus eo sine vocaret reprobos ut crederent, non excœcaret oculos ne crederent.

9. Respondeo. *pelargus in cap. 13. Masth. ex Cyrillo* rectè ait: Deus indurat, non efficiendo, sed deserendo & non adjuvando. Et *Gualth. inquit in cap. 12. Job.* excœcatio & iuduratio est pœna impietatis & causa illius in hominibus hæret, ut non opus sit Deo litem movere. Cum itaq; dicitur in textu: excœcavit oculos, & induravit cor, ne videant, ne intelligant. Id non ita exponendum cum Piscatore, quasi Deus callo obduxerit cor Judæorum, ne credant, ob cœcitatē enim illam Christus condoleſcit *Mar. 3. v. 5.* Sed redditur causa, qui factum sit, Judæos non potuisse credere, quia *Esaïas dixerit v. 39. 40.* Excœcavit oculos, induravit cor, ne videant nec intelligant. Quorum verborum sensus non est, quasi prædictio Esaïæ causa fuerit hujus *πρωόσως*, quia teste ipso Calvino in hunc locum, præscientia Dei simplex rerum causa non est. Proinde eleganter respondet *August. in Job. Tract. 53. p. 471.* Deum præscium futurorum per prophetam prædixisse infidelitatem Judæorum, prædixisse tamen, non fecisse, non enim propterea quenquam Deus ad peccandum cogit, quia futura jam hominum peccata novit: ipsorum enim præscivit peccata non sua, non cujusquam alterius, sed ipsorum. Quapropter si ea quæ ille præscivit ipsorum, non verè ille præscivit: sed quia illius præscientia falli non potest, sine dubio non alij, sed ipsi peccant, quos Deus peccaturos esse præscivit. Fecerunt ergò peccatum Judæi, quod eos non compulſit facere, cui peccatum non placet, sed facturos esse prædixit, quem nihil later. Et paulò post ait *August:* Non poterant credere, quia hæc Esaïas Propheta prædixit: hoc autem Propheta prædixit, quia Deus hoc futurum esse præscivit, malam quippe voluntatem prævidit Deus, & per Prophetam prænuntiavit ille cui abscondi futura non possunt. Et *Chrysoſto hom. 67. in cap. 12. Job.* inquit: neque enim quia dixit Esaïas, non crediderunt: sed quia non erant credituri: ideo dixit. Hinc magnam vult scripturæ certitudinem demonstrare, addit *Chrysoſt.* quod non aliter quam Prophetatum sit venerit. Quæ prædixit Propheta, tanquam omninò futura prædixit

dixit: nisi enim prorsus futura novisset non sane prædixisset Hæstenus Chrysofost.

10. Ex quibus constat particulam *iva* non esse indicium causæ, quasi prophetia Esaiæ in credulitatem Judæorum causata fuerit, teste ipso Calvino præscientiam Dei rerum causam non esse dicente: Sed demonstrationem certissimi & infallibilis eventus. Quod ergo dici videtur *ἀπολογικῶς*, id intelligendum est *ἐκβατικῶς* conf. *Job. 13. v. 18. c. 17. v. 12. c. 18. v. 9. 32. c. 19. v. 24.* &c. Et passim. Eodem modo Hebræi utuntur voce *יָדַעַתְּ* *Psal. 51. v. 6. Amos 2. v. 7.* Sensus itaq; simplicissimus est: Quod Esaias de Judæis futurum prædixit, id certo eventu impletum fuit. Non autem illud evenit quia prædictum, sed quia certo eventurum erat, ideo Esaias id certissime futurum, Spiritus S. impulsu, prædixit. Deus autem ut recte ait *August. de civit Dei Lib. 14. cap. 27.* præsciendo neminem ad peccata compellit. Caterum quod additur *v. 39.* non poterant credere quia Esaias iterum dixit: excæcavit, induravit, ne videant ne intelligant. Id non ita accipiendum est, quod Deus efficaciter immittat duriciem cordis, & occæcationem oculorum in impijs efficiat. Id enim ipse Calvinus licet aliàs, tamen in h. l. affirmare non audet, proinde dicit: Deum privare judicio & sensu, quando per Satanam homines dementat.

11. Et Quis illorum verborum sensus sit, ipsa scriptura satis alijs explanat dum ait *ἐπαχύνθη καρδία* incrassatum est cor *Matth. 13. v. 15.* intellige à Diabolo *2. Cor. 4. v. 4.* Ille enim implet corda impiorum *Aët. 5. v. 3* & ad peccata sollicitat *Job. 13. v. 2.* Impij capti sunt à Diabolo ad ipsius voluntatem. *2. Tim. 2. v. 26* & ab eodem ad malum tentantur. *1. Cor. 7. v. 5.* Hinc *κατ' ἐξοχὴν πειράζων* dicitur *Matth. 4. v. 3. 1. Thes. 3. v. 5.* Deus autem neminem tentat ad malum *Jac. 1. v. 14.* Et quicquid in mundo est peccatorum, non est à Deo sed à mundo *1. Job. 2. v. 16.* Impij quoq; à Diabolo acti, ipsimet propria sua culpa oculos suos occludunt ne videant & corde intelligant & convertantur & sanentur *Aët. 28. v. 27.* Hinc in duratio ipsis hominibus sapius tribuitur *Ex. 9. v. 15. 32. c. 9. v. 35. Deut. 29. v. 3. Neh. 9. v. 16. Jer. 5. v. 3.* Quando autem in duratio & occæcatio ipsi quoq; Deo in sacris assignatur literis, videndum quomodo

modo prævia scriptura, salva fidei analogia id fiat. Removendus autem studiosè hic est modus efficacis influxus, & operationis. Deus enim quia nostri indurationem, quatenus peccatum est detestatur & punit, non est ejusdem auctor, cujus est ultor & osor. Indurare tamen & occæcare homines impios dicitur, quando ob antegressam contumaciam Deus sese ab ipsidem avertit *Act. 7. v. 42.* & salute privat *Psal. 119. v. 115.* dimittit *P. 81. v. 13.* & ob præcedentia scelera satanæ excæcandos tradit *1. Reg. 27. v. 73.* Non itaq; dicente rectè *Aug. Epist. 105.* ad Sixtum, obdurat Deus impertiendo malitiam sed non impertiendo misericordiam. Quibus enim non impertitur, nec digni sunt, nec merentur, At potius ut non impertiat, hoc digni sunt; Hæc August. Et *Chrysost.* ait in *Job.* explicans phrasin: Deus indurat *p. 94.* non à Deo sed ab aliorum malitia provenire ostendit, cum deserimur à Deo & tradimur Diabolo.

12. Ut ergò, hisce omnibus scriptura prævia, præsuppositis ad textum nobis objectum revertamur, dicit ille judæos non potuisse credere, ratio subjungitur: quia Esaias dixerit Deum habito respectu summæ ac continuatæ Judæorum contumaciæ, eosdem deseruisse, Satanæ libidini tradidisse. Id enim induratione indigitatur. Cum igitur tanta, tamq; stupenda Judæorum fuerit obstinata malitia, qua miracula Christi in confirmationem fidei illorum *Job. 20. v. 31.* tanto numero facta *Job. 12. v. 37.* aspernati sunt, & consilium Dei, de sua ipsorum salutè perfractè contempserunt *Luc. 7. v. 30. Act. 13. v. 46. c. 18. v. 6.* Hinc illa credendi ἀδυναμία. De qua Evangelista loquitur. Absit ergo hæc à nobis impietas, ut cum Wendelino, hanc summam Deo *Φιλανθρώπων* affricemus injuriam dicentes. Deum quorundam vocatorum oculos excæcare & corda obdurare, ne videant oculis & intelligant corde, ne convertantur & sanentur. Id est explicante calvino *Lib. 2. Instit. cap. 4. §. 2.* Indurare Deus dicitur, quibus facultatem videndi parendi rectè exequendi adimit. Item *Lib. 1. cap. 18. §. 2.* à Deo manat efficacia erroris.

13. Hactenus ergò contra Wendelin. Deum salvationis sine, homines per verbum vocare probavimus. Progrediemur nunc alia sententiæ nostræ fundamenta producentes. Deum ergò Apostolorum tempore omnes vocasse homines illustri & classico confirmamus

2.

namus loco ad *Col. 1. v. 23. 28* ubi desertis verbis dicitur, Evangelium prædicatum esse, apud Universam creaturam quæ sub cælo est. Qui locus adeo clarus & dilucidus est. Ut nonnulli adversarium fateri necessum habeant, vocationem esse Universalem, ita *Sohn. Tom 1 p. 184.* inquit: vocatio est Universalis & omnes homines Deus invitat. Quemadmodum enim corruptio hominum, & liberatio per Christum Universalis. Ita & vocatio. Extant enim libri prophetici & Apostolici in quibus omnes homines invitantur, nemo arceatur, Et ipse *Wend. cap. 16. p. 93.* inquit: ut igitur maximè concedamus, Apostolorum temporibus omnes fuisse vocatos, qui tum vixere.

14. Excipit tamen locum ad *Coloss. 1. v. 23.* non probare nostram Thesin, nam familiare esse scripturæ, per omnes sub cælo, non semper absolute indigitare singula hominum individua, nemine prorsus excepto, sed quandoq; valde multos, & variarum nationum homines, quod probat ex *Act. 2. v. 5.* ubi recensentur nationes ante verò inter eos Germani fuerunt & Americani, quiq; adhuc sub australi polo latent ignoti? sic *Eccles. 4. v. 15.* vidi omnes vivos qui incedunt sub sole. Quis dicat Salomoni omnes mortales, qui tum vixerant, nemine prorsus excepto fuisse visos?

15. Respond. 1. ipse Wendelinus invitationem omnium hominum ad salutem seu vocationem, tolerabiliorem dicit esse sententiam initio cap. 10. & cap. 16. ait: ut igitur maximè concedamus, Apostolorum temporibus omnes esse vocatos, qui tum vixere, conf. Pareum in *Irenico. p. 142.* idem affirmantem. Cur ergò nunc varia quærit diverticula, quibus apertam veritatem negare præsumit. In specie quod 2. allegata scripturæ attinet loca, illa sunt diversa. In primo dicitur Judæos viros religiosos habitantes Hierosolymis ex omninatione quæ sub cælo sunt. ubi subjectum determinat prædicatum. Intelligit enim Judæos varijs exiliorum occasionibus hinc inde dispersos, ex omni natione quæ sub cælo est, in quam scil. Judæi olim sunt dissipati. Qui postmodum religionis causa, sese Hierosolymam contulerunt. Quemadmodum ergò *Gen 3. v. 20.* Eva dicitur mater omnium viventium, ubi similiter
sub-

subjectum, prædicatum ad viventes rationales restringit. Ita in loco *Aët. 2. v. 5.* nationes quæ sub cælo sunt referuntur ad illas, ubi Judæi, de illis enim sermo, fuerunt dispersi. Alia verò ratio est Evangelij, de quo dicit Apostolus prædicatum fuisse omni creaturæ quæ sub cælo est, ubi ipse Pareus agnoscit in *Jren. p. 260.* Deum omnes homines velle servari seria invitatione. Et Petrus Mar. Tom. 3. p. 40. Universalitatem in vocatione concedi posse ait, ita ut nemo, excludatur Idem. Tom. 1. p. 835. concedit Deum vocatione externa per Prophetas, Apostolos, concionatores & scripturas omnes vocare. Non enim à promissionibus vel minis, iste magis excluditur quam ille, sed omnibus ex æquo ista proponuntur. Hæc Martyr.

16. Ubi frivola est Polani exceptio *Lib. 6. Syntag. Cap. 32.* distinguentis inter generale & Universale. Et concedit vocationem externam generalem quidem esse bonisq; malisq; communem ex *Matt. 22. v. 9. 10.* Sed non Universalem, nam externæ prædicationis beneficium non esse Universale, quia gentibus ante Christum in carne manifestatum non contigerit. Quamvis verò ex *Thef. 3.* Quid Polano respondendum evidens sit; placet tamen ejusdem fundamentum vocationis generalis considerare. Vocatio externa inquit generalis est bonis & malis communis. Ergò quicquid generale est, & tam malis quam bonis commune, ab illo nemo excluditur. At vocatio externa talis est. Ergò. A qua vocatione verò nemo excluditur illa est Universalis. At à vocatione externa nemo excluditur. Ergò est Universalis. Quod antea quoq; *Thef.* præcedente Petrum Martyrem concessisse audivimus. Unde paulo post Polanus subjungit, vocationem inefficacem esse reproborum, qui evicti de oblata à Deo gratia fiant in perpetuum inexclusabiles: quibus ergò offertur gratia, illi vocantur ad gratiam. At reprobis juxta Polanum offertur gratia. Ergò vocantur ad gratiam.

17. Excipit autem Polanus gentes ante Christum in carne manifestatum non esse vocatas ut dicitur *Eph. 3. v. 5.* Respondeo ante Christum in carne manifestatum gentes non fuisse vocatas gratias dicitur. vocabantur 1. constante de Deo Israëlitarum fama.

1. Reg. 8.

1. Reg. 8. v. 41. 2. signorum celebritate 2. par. 32. v. 31. Ex. 14. v. 27. Dan. 3. v. 96. 100. s. 6. v. 26. exemplo aliarum gentium, relicto gentilismo religionem Judæorum amplectentium. 2. Reg. 5. v. 17. Ex. 12. v. 48. Matt. 2. v. 41. 4. noticia in visibilibus mundi operibus propofita Rom. 1. v. 19. 20. Act. 14. v. 17. Locus ergò à Polano allegatus non id concludit, gentes nulla ratione ante Christum vocatas, sed quod facta collatione V. & N. T. vocatio gentium respectu manifestationis ac multarum circumstantiarum Rom. 16. v. 26. Act. 10. v. 28. multo fuerit in N. T. illustrior quam in V. T. Hinc Zanchius in h. l. ait: Apostolus non dixit simpliciter, non innotuisse illis, sed non innotuisse *ὡς ὄν* Unde Marloratus inquit in Exposit. Eccles. h. l. verba Pauli non sic esse accipienda, quasi de his rebus nulla fuerit cognitio &c. Atqui hæcenus prima fuit Wendelini exceptio.

18. Locus quem secundò adducit ex Eccles. 4. v. 15. non agit de visione corporali, sed animi sive mentali. Unde Piscator textum reddit: consideravi omnes viventes. Neq; insolens est verbum **ΠΝ** ita usurpari ut constat ex Psal. 34. v. 9. conferri potest Buxtorf. in Lexico. Ita in N. T. *ὁπτορεῖν* & *θεωρεῖν* de visione mentali & interna sumuntur Luc. 3. v. 6. Joh. 6. v. 40. & passim Perit ergò vis argumenti, quasi Salomon cunctos viderit mortales. Verè autem scribit de se Rex sapientissimus, se omnes considerasse homines, dum enim quosdam oculis conspexit, ac eorum conditionem ac qualitates perpendit, facilè oculos mentis ad omnes dirigere potuit. Nihil enim sub sole novum, ut ab eodem Salomone in Eccles. 6. 1. v. 10. dicitur. Quod ergò oculis corporeis in quibusdam vidit, id oculis mentis in omnibus consideravit. Nam de paribus idem est iudicium.

19. Pergit Wendelinus excipere ex alijs locis, quæ in scripturis occurrunt Paulum explicandum esse. Ubi sine dubio alludit ad loca à Martyre allegata de prædestinat. p. 855. omnis caro videbit salutare Dei Luc. 3. v. 6. omnes erunt docti à Deo Joh. 6. v. 45. omnes me agnoscent à minori usq; majorem Jer. 31. v. 34. Super omnem carnem effundam spiritum. Act. 2. v. 17. Respondeo 1. in

genere concedendo particulam, omnis, pro subiecta materia scopo id exigente sæpe refringi. Quæ verò consequentia: aliquando id fit. Ergò semper. In hac de qua quæritur vocationis externæ materia id non fieri testatur ipse Martyr, quando allegato loco. in margine ait: vocatio externa est communis prædestinatis & reprobis, sicuti ipse Wendelin *p. 84.* largitur. Quod2. in specie attinet allegata loca. Primus secundum Calvinum in Harmon. Evang. hunc habet sensum, quod salus illa non sit gustanda à paucis tantum hominibus, sed illustrem fore & omnibus communem. Unde Gualth. in h. l. inquit: Christus omnibus prædicari debet, est universale præceptum quod nemo potest impune contemnere *Mac. 16. v. 15.* Hactenus ergò primus locus adversæ parti non patrocinatur. Secundus locus ex *Esaiæ. 54. v. 13.* desumptus, agit interprete Musculo, ac consentiente ipso contextu, de civibus & filiis cælestis Hierusalem, Ecclesiæ Dei. Omnes ergò veri veræ Ecclesiæ cives à Deo illuminatum iri dicitur. Unde Musculus allegato loco inquit: non est hæc promissio referenda, nisi ad veram Christi Ecclesiam, cujus filij omnes sunt discipuli Dei, ac spiritu illius docentur, illuminantur & regenerantur. Tertium dictum similiter pro materia subiecta intelligendum, interprete ipso Johanne *c. 6. v. 45.* de illis qui audiunt à patre & discunt. De quibus omnibus affirmat. Jeremias, commendans largam & uberem N. T. gratiam, quod tales à minimo ad maximum Deum salutariter sint cognituri. Ultimus locus ex *Joiel 2. v. 28. & Act. 2. v. 17.* discrimen inculcat V. & N. T. ac indicatur largissima Spiritus S. dona non judæis tantum, sed & gentibus ubertim conferenda, vide complementum *Act. 20. v. 47. c. 11. v. 18.* In N. enim Testamento postquam interstitium maceriæ dirutum *Eph. 2. v. 14.* discrimen Judæi & Græci in regno Christi sublatum est *Gal. 3. v. 28.* Ex quibus patet hæc & similia scripturæ sacræ loca, adversariorum nostrorum partibus, ob insignem materiæ, quæ de controvertitur, diversitatem, non favere.

20. Sed replicat Wendelinus dicendo. *p. 94.* Quis credat à fideis Apostolis omnes mundi angulos, nullo prorsus excepto, potuisse perreptari, in tanta vitæ brevitate, tanta itinerum difficultate.

Respondeo

Respondeo Wendelinum huic exceptioni parum tribuere roboris, ipse testatur in Christiana Theolog. cap. 19. p. 312. ubi inquit. Si maxime suo tempore Apostoli omnes & singulos vocassent &c. Cum ergo de fidelitate Apostolorum ut ait, non dubitet. Concedat oportet Apostolos testimonium dedisse Christo usq; ad extrema terræ Act. 1. v. 8. admonere & docere omnem hominem Col. 1. v. 28. quia mandatum acceperunt docendi πάντες τῆς γῆς Matt. 28. v. 19. prædicandi Evangelium omni creaturæ Marc. 16. v. 15. Quod mandatum fideliter executi sunt. Unde Chrysost. Hom. 76. in Joh ait: Quia prædicatum iri Evangelium in universo ipse voluit orbe vicissuperavitq; prædicatio. Hinc Apostolus objectionem illorum, quasi verbum Dei non audiverint, anticipans, quærit Rom 10. v. 18 annon audierunt? Respondet affirmativè: atqui in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terrarum verba illorum.

21. Si quæras cum Wendelino, ane ergo Apostoli omnes mundi angulos perreptarint? Licet hoc probari non possit, manet nihilominus verum in omni loco 2. Cor. 2. v. 14. 1. Thes. 1. v. 8. & toto mundo Rom. 1. v. 8. Evangelium esse annuntiatum. Observandum quoq; est quod Ambrosius inquit in Epist ad Rom. cap 10. Quia ubiq; audita est, & pervenit in omnem locum prædicatio nominis Christi: ubi enim præsentia hominis prædicantis defuit, sonus tamen & fama pervenit. Quod si ergo dicente Matthæio concione secunda de Lutero. p. 12. disputatio Lutheri contra Indulgentias Wittebergæ habita spacio menstruo Romam pervenit, indeq; in omnes Academias, & monachorum claustra pervolavit. Quid de miraculis Apostolorum, de quibus vide imprimis Act. 5. v. 14. 15. 6. 19. v. 11. 12. dicemus. Unus Paulus de se vere gloriatur in Christo Jesu Rom. 15. v. 18. 19. quod per potentiam signorum & prodigiorum, per potentiam spiritus Dei, ab Hierusalem & in circumjacentibus regionibus, usq; ad Illyricum impleverit Evangelium Christi. Et porro paratum se esse dicit prædicare Evangelium, ubi Christus non erat nominatus ne super alienum fundamentum ædificaret Job. 4. v. 38. Hinc tota Asia tempore Pauli audivit sermonem Domini Jesu Act. 19. v. 10.

22. Quod si Wendelinus itinerum difficultatem ac vitæ Apostolorum brevitatem produxerit, Respondemus verbis ipsius Pauli de itinerum difficultatibus conquerentis 2. Cor. 11. v. 26. vitam Apostolorum quod attinet, quamvis illorum Unus vitæ cursum absol-
verit citius, ut Jacobus biennium post Christi ascensionem decol-
latus Act. 12. v. 2 alij tamen Dei beneficio mirabiliter conservati
vide Act. 12. v. 7. & seqq. vitam satis longam vixerunt, Johannes
Evangelista licet imperante Domitiano, postquam quinquaginta
quinque annos officio suo fideliter functus esset, in oleum igneum
demergeretur, Dei tamen auxilio conservatus, Ephesum postea
rediit, Ecclesiasq; in Asia gubernavit ac tandem referente Eusebio
Ephesi moritur, post Christum natum Anno 99. alij 100. Anni igitur
ministerij Johannis ad minimum fuerit 74. Simeon postquam
in Ægypto. Libya & Persia fideliter Evangelium docuit, Anno æta-
tis 120. cruce affixus esse dicitur. Anni itaq; ministerij ipsius ultra
quadraginta annos & amplius sese extendunt. Ipse Paulus qui se
plus cæteris laborasse ait 1. Cor. 15. v. 10. totos triginta septem an-
nos fideliter, nocte ac die cum lacrymis docuit Act. 20. v. 31. Petrus
ultra quadraginta annos Ecclesiam sedulo ædificavit. Hinc jam
metæ proximus adhortatur presbyteros, ipse simul presbyter, ut
curam sibi commissi gregis agant, non coactè sed volentes, ut cum
pastorum princeps apparuerit, reportent immarcescibilem gloriæ
Coronam 1. pet. 5. v. 1. & seqq. postquam ergò in Ponto, Galatia,
Cappadocia, Asia, Bithynia Apostolatu functus est 1. Pet. 1. v. 1. tan-
dem Romæ sub Nerone doctrinæ Evangelij veritatem martyrio
confirmavit. De Thoma Dorotheus Tyri Episcopus scribit, quod
Parthis, Medis, Persis, Germanis, Hircanis, Baëtris & Magis Evan-
gelium Dnmini prædicaverit, ac in Calaminæ Indiæ civitate Ca-
lamo, quem Lanceam vocant occisus sit. Et ne hîc solos confide-
remus Apostolos adjungemus fidelissimos illorum Uno eodemq;
tempore viventes *συνέγραψεν* Phil. 4. v. 3. Rom 16. v. 21. 2. Cor. 8.
v. 18. septuaginta discipulos quorum nomina allegato loco Doro-
thei Episc. Tyri p. 646. leguntur. Et quid quæso sollicitus adeo est
Wendelinus de vitæ Apostolorum brevitate, itinerum difficultate.

Anne

Anne novit Deum apud Daniele *l. 4. v. 32.* omnes habitatores terræ, atq; sic Universam terram pro nihilo reputare, & minus nihilo *Isaie 40. v. 17.* Qui ergo Deus est implens cælum & terram *Jer. 23. v. 23.* anne illi hoc impossibile, ut ipsius ministri τῶν κλυτῶν συνεργῶν ubiq; πανταχῶς verbum prædicent *Mar. 16. v. 26.*

23. Et hanc veritatem Euseb. lib. 2. cap. 3. suo comprobat calculo, dum inquit, brevi tempore sermo Christi pervasit totum orbem; divina enim virtute & coöperatione, salutaris doctrina orbi Universo subito, veluti solaris quidam radius illuxit, ac confestim secundum divinas scripturas divinorum Evangelistarum & Apostolorum sonus in omnem terram exivit, & ad fines orbis usq; verba eorum &c. Et *lib. 3. cap. 1.* ait: servatoris nostri Apostolos & discipulos per Universum orbem dispersos fuisse. Sed replicat Wendesinus, mandatum de prædicando Evangelio per Universum orbem, non ad solos pertinuisse Apostolos, sed ad eorum successores. Responsio quamvis successores Apostolorum fidelem præstiterint in propagando Evangelio operam, in eo tamen inter alia differt Apostolatus à vocatione cæterorum ministrorum, quod solis Apostolis dictum sit: ite in mundum Universum *Marc. 16. v. 15.* docete omnes gentes *Matt. 28. v. 19.* eritis mihi testes usq; ad extrema terre *Act. 1. v. 8.* De successoribus dicitur: attendite gregi in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos *Act. 20. v. 28.* Hinc cæteris Ecclesijs fuerunt præfecti ut Timoth. Ephesinæ *2. Tim. 4. v. ult.* Titus Cretensium *Tit. 3. v. ult. conf. Apoc. 2. v. 12 18. c. 3. v. 17. 14.*


24. Huc usq; igitur vocationem tribus vicibus actu ipso Universalem fuisse pro instituti ratione breviter probatum est. Quæ Adversariorum nostrorum sint κρησφύγηται, quas luci huic manifestissimæ offundat tenebras, Ægyptiacis crassiores ac nocentiores id cum Deo futura uberius edocebit dissertatio. Nos hic concludentes Patri misericordiarum devotas agimus gratias, quod nos miseros Iaphitas, otiosos in foro stantes *Matt. 20. v. 6.* à potestate tenebrarum evocarit, & in regnum filij sui transfulerit. *Col. 1. v. 13* ipsi laus in secula *2. Cor. 11. v. 31.*


Corol-

COROLLARIUM.

NE quis sic hiatus placeat apponere mantissam à disputationis scopo non abludentem, è libro D. philippi Nicolai, unde Brasiliensium majoribus aliquando, verbum Domini oblatum, sed ab ipsis repudiatum liquido constat. Verba ex libro primo. p. 84. desumpta hæc sunt: Johannes Larius de Brasiliensibus commemorat, quod immortalitatem animarum credant, & refert, se aliquando ipsis de vero Dei cultu, de creatione rerum, de labe & ruina generis humani, & similibus Christiana religionis Capiteibus differuisse: Quibus postquam duas amplius horas magna cum attentione & admiratione auscultassent, demum quendam ex senioribus respondisse: habere se ex avorum relatu jam inde à priscis temporibus, & ante plurimos annos, hominem nostro more vestitum & barbaturum, in illorum devenisse terras, qui simili oratione ipsos sub Dei obsequium adducere, conatus fuerit. Cum autem Majores ipsorum, illi fidem non haberent, successisse alium qui enssem maledictionis symbolum illis traderet, ab eo tempore bella & dissensiones perpetuas inter ipsos viguisse. En tibi non obscurum exhibitæ & sprete lucis argumentum. Nequè enim verisimile est, tantam orbis terrarum compagem, generisq; humani societatem, ab Apostolorum voce, tot seculis intactam latuisse, cum sonus illorum ad omnes gentes transierit, & disponente Deo in omnes terrarum fines penetrarit. Hactenus D. Philip. Nicolai scopum nostra disputationis non leviter confirmans. Unde etiam locum hunc ad complendum hoc spatium addere visum fuit.

SOLI DEO GLORIA








Anne novit Deum apud Daniele *r. 4. v. 32.* omni
 terræ, atq; sic Universam terram pro nihilo reputat
 hilo *Isaie 40. v. 17.* Qui ergo Deus est implens
Jer. 23. v. 23. anne illi hoc impossibile, ut ipsius m
 ουνερ γέντος ubiq; πανταχῶς verbum prædicent *M*

23. Et hanc veritatem Euseb. lib. 2. cap. 3. suc
 culo, dum inquit, brevi tempore sermo Christi p
 bebem; divina enim virtute & coopératione, saluta
 Universo subito, veluti solaris quidam radius illu
 secundum divinas scripturas divinorum Evange
 stolorum sonus in omnem terram exivit, & ad fin
 ba eorum &c. Et lib. 3. cap. 1. ait: servatoris no
 discipulos per Universum orbem dispersos fuiss
 Wendelinus, mandatum de prædicando Evangelio
 orbem, non ad solos pertinuisse Apostolos, sed
 fores. Responsio quamvis successores Apostolor
 stiterint in propagando Evangelio operam, in eo
 differt Apostolatus à vocatione cæterorum minist
 lis Apostolis dictum sit: ite in mundum Universu
 docete omnes gentes *Matt. 28. v. 19.* eritis mihi te
 ma terræ *Act. 1. v. 8.* De successoribus dicitur: a
 quò vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos *Act. 20*
 tis Ecclesijs fuerunt præfecti ut Timoth. Ephesina
 Titus Cretensium *Tit. 3. v. ult. conf. Apoc. 2. v. 12 18*

24. Huc usq; igitur vocationem tribus vicib
 versalem fuisse pro instituti ratione breviter pro
 Adversariorum nostrorum sint κρησφύγηται, qu
 nifestimæ offundat tenebras, Ægyptiacis crassior
 id cum Deo futura uberius edocebit dissertatio.
 dentes Patri misericordiarum devotas agimus g
 miseros lapidas, otiosos in foro stantes *Matt. 20*
 tenebrarum evocavit, & in regnum filij sui transi
 ipsi laus in secula *2. Cor. 11. v. 31.*



the scale towards document